



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Cap. II. De Concubinato.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

*1 Tim. 2. Conc. Trident. sess. 24. c. 12. De reformatione variorum clericorum sub tit. De vita & honestate Cler. extra. in 6. c. Clem. c. penult. De vita & honestate Cler. c. 2. eod. in 6. c. Clerici. De vita & honestate Cler.*

4 Veste omnes utantur honesta ac decen- te, ut materia, forma, colore, pretio ac omni modo respondeat, tum modestiæ ac dignitati Clericali, tum conditioni ac statui singulorum. in quo uti vanitatem, & affectatam mundi curiositatem, novâ levitatem ac nitorem, sic abjectionem & nimias fordes, exclusas volumus. In omni vestitu, præsertim externo color tantum niger adhibeatur.

5 In Civitatibus ac oppidis talari veste, in pagis aut villis brevioribus utantur. Itinerariæ vestes breviores non sunt, quin fimbria infra genua diffluat; nec domesticæ vestes & intrinsecæ colore aut habitus specie à domestica Clericali discrepent.

6 Quod de coma, barbis, ac alis barbarum, Prædecessor Noster mandavit, id nos iisdem verbis & eodem rigore observandum serio repetimus. cui pro clariore intellectu hoc ad- jicimus, & admittimus, ut Ecclesiastici vel brevem Romano, vel antiquo hujus patriæ more usque ad extremitates inferiores aurium defluentem comam gestare possint, planam non reflexam, nec calamistratam aut in cin- cinnos compositam, aut instar setarum elatam. Corona vero (infigne regalis Sacerdotii) con- spicua appareat, renoveturque in iis, qui brevi sunt capillitio, singulis quindenis; qui longiori, singulis mensibus.

7 Mensuram moderationem tum status Eccle- siastici ratio, tum præsens temporum necessi- tas, omnibus fere indicit; volumus tamen, hanc ab omnibus, pro conditionis qualitate, observari, ut non desit quod egentibus Christi membris, quibus id quod superest debetur, recte distribui possit.

8 Publicas & privatas commessationes, convivationes, longiores accubitus, ad æqua- les haustus provocationes, cum illæ omnes Christianos, & in primis Clericos, maxime de- deceant; omnes monitos volumus, ne his in- dulgeant, sed, quanta fieri potest frugalitate, concessis sibi à Deo donis utantur.

9 Si quando ad nuptias & alia convivia, gratia propinquitatis aut necessitudinis, invi- tentur, cæteris modestiæ, frugalitatis ac sobri- etatis exemplo præeant; cauponas vero aut tabernas vitent, nisi in itinere constituti, necessitatis gratia; à choreis vero & mimicis seu jocularibus nugacitatibus ubique absti- neant; sicuti etiam à lusibus jure prohibitis, aleis, taxillis, gladiis, hastis, sclopis, & simili- bus; quemadmodum etiam à venationibus il- licitis & clamorosis.

10 Similiter, alienum est ab instituto Cleri- corum, ut, quæstus gratia, mercaturæ, nego- tiationes, alienæ rei procuraciones, Advoca- tiones, nisi pro Ecclesia, necessariis, & mise- rabilibus personis, actiones, causarum præser- tim apud Iudices Sæculares, Notariatus, & Tabellionatus, officia prophana, artem me-

*Can. pro- hib. c. 6. Can. Cle- rici. dist. 23. Can. duo sunt. 12. q. 1. d. c. Clerici. Ad Philip. 3. v. 19. c. à crapula. De vita & honestate Cleric.*

*dist. 44. per 101. Conc. Tri- dent. sess. 24. c. 12. de refor- m. c. Cle- rici. Trid. Conc. sess. 22. c. 1. de refor- m. Qui venator. c. seqq. di. 86. tot. tit. De Cler. ve- nat. c. 1. c. 2. c. secundum.*

dendi, aut cauponandi vilitatem, exerceant- quæ omnia, tanquam à jure reprobata, malo- rum irritamenta, Clericis prohibita esse vo- lumus.

11 Et generaliter quæcunque à sacris Ca- nonibus, & præsertim Concilii Tridentini, de vita & honestate modestiæque Clericorum conservanda, deque criminibus ac superflui- tatibus quibuscunque vitandis, salubriter con- stituta sunt; ea sub iisdem pœnis repetita, & omnibus pro debita observantia serio com- mendata & inculcata esse volumus.

*Ne Cler. vel Mo- nach. tot. tit. De po- sulando. c. sicut. Ne Cler. vel Monach. c. senten- tiam, eod. tit.*

C A P. II. De Concubinato.

I Mmundum & damnabilem Concubi- natum, quo nihil magis ab honestate Clericorum, & Ministrorum Christi Virginis Filii, alienum est, post serias Prædecessoris Nostri Synodales Constitutiones, & Nostras subsecutas diversas mandatorum insinuationes & monitiones, Nos iterum, hoc Decreto Nostro, execramur, damnamus, & profligamus. & ad superabundantem cautelam, & pro tollenda omni ulteriore excusatione, omnibus notum hæc facimus, Nos nemini hoc in cri- mine parcituros, sed posthac simpliciter & de plano, ad privationem beneficiorum, & se- riam ac publicam executionem, contra auto- res, complices & fœdas amasias ac focarias, ubicunque locorum processuros. quam rem iterum Vicario Nostro in Spiritualibus gene- rali, & quos ipse pro Executione requisierit, serio injungimus.

*c. 8. De Concubina.*

2 Quæ de prolibus, ex fœdo Concubinato susceptis, earumque cum Parentibus Clericis cohabitatione, à Prædecessore Nostro Cardi- nale Zollerano decreta sunt, hæc de verbo ad verbum repetimus, & serio observari volu- mus. Similiter vetamus, ne Clerici Parentes, in Baptismo, Sponsalibus, Nuptiis, Exequiis, aut similibus actibus publicis suorum illegiti- me natorum, ullo modo interfint, nec in pu- blico facile cum iis compareant, aut eos in plateis circumducant; quos certe videre ac nominare non possunt, nisi in pœnam & infamiam.

*c. 8.*

3 Concubinarios vero ad minus dietam unam à cohabitatione suarum cum quibus peccavere & vixere, relegari volumus; & omnem prorsus cum ipsis conversationem, sub pœnis privationis beneficiorum, aut alias pro qualitate delicti arbitrarie infligendis, prohibemus.

4 Similiter etiam huc repetimus, tam quæ in sacris Canonibus & Conciliis Provincialibus, quam à Prædecessore Nostro, de illegiti- mis Clericorum Liberis ad hæreditates, dona- tiones, & fructus beneficiorum percipiendos, non admittendis, salubriter statuta sunt.

*d. c. 8. §. 3.*